

*Resp.* 3<sup>o</sup> Si autem finis leviter malus sit mere *secundarius, probabilius* non corrumpit totum actum, qui erit partim bonus, partim malus. Ratio est, quia actus ille bonitatem suam ex objecto retinet: finis autem malus se habet tantum *concomitanter*, nec in ipsam actionis substantiam influit. Si secus esset, pauciores actus boni reperirentur. — Billuart, diss. 4. art. 4. — Gerdil, *de Act. hum. et alii communiter*.

31. — QUAER. 2<sup>o</sup> *An omnes actiones, ut bonae moraliter sint, motivo charitatis informari debeant?*

*Resp. Neg.* Actus enim ex motivo aliarum virtutum elicitur sunt per se boni, ut sunt actus Fidei, Spei, etc... Constat id etiam ex Conc. Trid. sess. 14. c. 4. ubi declaratur, attritionem esse donum Dei et disponere poenitentem ad iustificationem. Item sess. 6. can. 31., ubi dicitur: *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit.*

QUAER. 3<sup>o</sup> *An omnes actiones nostrae, ut honestae sint, ad Deum referri debeant ex motivo supernaturali, seu quod per Fidem apprehendatur?*

*Resp. Neg.* Secus enim omnia opera infidelium essent peccata, quae doctrina ab Ecclesia damnata est.

QUAER. 4<sup>o</sup> *An omnes actiones nostrae ad Deum referri debeant? iuxta verba Apostoli, 1. Cor. 10. 31.: Omnia in gloriam Dei facite.*

*Resp.* Circa obligationem, quae ex allato textu eruatur, referendi actiones in Deum, posthabitis quorundam recentiorum opinionibus obscuris saepius implexisque, praefenda prorsus est communis veterum doctrina, quae hisce capitibus continetur.

Ac primo quidem Pauli verba ex communi DD. sententia ad virtutem charitatis spectant, et non secus ac praeceptum charitatis, accipi possunt sensu tum negativo, tum affirmativo.

Si sensu *negativo* accipiantur, significant: *Nihil contra Deum faciatis* (11): et sic ex omnium sententia imo et ex ipsa rei natura praeceptum continent, scilicet non peccandi. Hoc tamen praeceptum peccato speciem non tribuit, quia peccata speciem suam non a generali virtute seu lege, sed a specialibus praeceptis, v. gr. non occidendi, non blasphemandi, desumunt.

Si vero Pauli verba sensu *affirmativo* intelligantur, nonnihil dissentiunt inter se Doctores, et neque eodem modo illa explicant, neque eandem vim iisdem attribuunt.

Quidam enim cum S. Bonaventura censuerunt, Paulum per ea verba insinuare, ut singulae actiones vel saltem singulae actionum sibi subor-

(11) Vid. S. Thomam 2. Dist. 40. q. 1. art. 5. ad 7. et S. Bonaventuram 2. Dist. 41. art. 1. q. 3. ad 1.

dinarum series, *actu seu relatione actuali* in Deum referantur. Veruntamen simul contendebant, Paulum ibi non praeceptum aliquod tradidisse, sed merum consilium. — Vid. S. Bonavent. 2. dist. 41. art. 1. q. 3. ad 1. et ad 6.

Alii vero communius cum S. Thoma docent, verbis Apostoli reipsa praeceptum contineri. Verum ne ad absurda exinde quis abripiatur (12), plane opus est integram de hac re doctrinam S. Thomae retinere.

(12) Insignis fuit fraus iansenistarum, ut praeceptiva esse Pauli verba contenderent, haec allegando ex S. Thoma (Lect. 3. in *Coloss.* cap. 3.): *Quidam dicunt, quod hoc est consilium; sed hoc non est verum: paulinam vero sententiam non cum S. Thoma explicarent, sed cum S. Bonaventura, ubi ait (2. Dist. 41. art. 1. q. 3. ad 1.): Admonet Apostolus...., quod quodlibet opus nostrum referamus in Deum: et de quolibet divisim possumus facere.* Exinde autem concludebant, peccari toties quoties opus aliquod *actu* non referatur in Deum. Et cum referre opera in Deum ad charitatem spectet, praeter alia hoc quoque inferebant, infideles et peccatores, utpote qui charitatem non habent, in omni opere peccare.

Caeterum non pauci e recentioribus, quamvis a damnato hoc errore abhorreant, dum tamen et ipsi disparatas S. Thomae et S. Bonaventurae interpretationes Paulini textus in unum quid permisceant, in aliud incidunt incommodum. Etenim hinc quidem verba Pauli cum S. Thoma ad praeceptum revocant; inde vero praecepti huius rationem in eo collocant, quod S. Bonaventura mere *ad rationem meriti* requirebat, nimirum ut actiones singulae aut saltem singulae actionum series in Deum *actu* referantur; et sic dum actualem istam omnium operum relationem statuunt obligatoriam, rem eo adducunt, ut vix inveniri quispiam possit, qui, ob omisam hanc operum relationem in Deum, multiplices se reatu quotidie et passim non inquinet, uti reipsa (et sane cohaerenter) conclusit Gazzaniga *De Actib. human.*

Diss. 2. cap. 4. n. 87.; additque Collet (*De Actib. hum.* cap. 6. art. 1. sect. 2.), non dari ignorantiam invincibilem, quae ab hoc peccato forte excuset. Cui quidem incommodo neque satis medentur, obligationem illam ita restringendo, ut sufficiat quotidie, vel aliquoties in die, ut inquit Collet (l. c.), aut saltem mane, opera in Deum retulisse. Nam 1<sup>o</sup> id non efficit, ut singulae aut actiones aut actionum sibi subordinatarum series iuxta mentem S. Bonaventurae ad Deum *actu* referantur, atque adeo multiplex omissionum reatus absit; 2<sup>o</sup> cum actualis ista relatio non distinguatur ab actu perfectae charitatis, iam obligationem huc usque in scholis inauditam inferunt, actum nempe charitatis saepius in die aut saltem semel mane quotidie eliciendi. Et ex his satis liquet, nullam vitandi haec incommoda rationem suppetere, nisi ut aut negemus cum S. Bonaventura, in verbis Pauli positivum praeceptum contineri, aut siquidem melius cum S. Thoma contendimus, in iis praeceptum edici, etiam praecepti explicationem, prouti in textu A. exponitur, ab eodem S. Doctore sumamus.

Et optandum sane fuisset, ut S. Alphonsus, qui egregie (*Tract. de Actib. Human. initio*) scripserat: *Non recedendum puto a sana Doctoris Angelici doctrina, ubi haberi potest; ipso enim duce in rebus theologiac inoffenso pede ambulatur*; optandum, inquam, ut S. Doctor in hac quoque quaestione Angelicum potius Doctorem, quam Collet Tournelii continuatorem secutus fuisset. Huius siquidem vestigiis insistens

Itaque S. Thomas facta distinctione inter relationem *actuaalem*, qua nempe opus *actu* in Deum dirigitur, et *virtuaalem*, quando scilicet virtus primae ordinationis seu relationis manet in actionibus sequentibus, statuit:

1<sup>o</sup> Relationem *actuaalem*, quae singulae actiones, etiam distributive sumptae, in Deum *actu* ordinantur, non esse de praecepto, sed de consilio (13).

2<sup>o</sup> De praecepto esse *virtuaalem* omnium operum relationem (14). Ad hanc autem duo requiri et sufficere: primum quidem ex parte operis, ut sit moraliter honestum, seu nulla mortalis aut venialis peccati labe infectum. Alterum ex parte agentis, ut aliquando elicuerit, nec per gravem culpam retractaverit actum charitatis, quo se homo et sua omnia in Deum tamquam ultimum finem ordinat (15).

scribit (ibid. n. XLIV): *Hinc pro praxi colligimus. Oportet saepius in die, saltem mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos, ut sic adimpleatur praeceptum Apostoli, saltem intentione virtuali omnia faciendi in gloriam Dei.* Quorum verborum manifestissimus sensus est, oportere scilicet ad implendum praeceptum Apostoli, ut saepius in die, saltem mane, *actu* offerantur omnes actiones Deo, ut sic omnes dein saltem intentione virtuali ad Dei gloriam actiones diurnae et verba referantur. Unde subdit: *Non requiritur quippe actualis relatio omnium verborum sive operum in bonum honestum, quod esset importabile pondus, et res sexcentis impleta scrupulis, sed sufficit virtualis, ut diximus.*

(13) Ita S. Thomas in eodem textu, quem ianseniani fraudulenter truncaverunt (Lect. 3. in Coloss. Cap. 3.): *Quidam dicunt quod hoc est consilium; sed hoc non est verum. Sed dicendum est, quod non est necessarium, quod omnia in Deum referantur actu.* Et alibi (2. Dist. 40. q. 1. art. 5. ad 7.): *Si (Pauli sententia) intelligatur affirmative... ita, quod ordinatio actualis in Deum sit actu coniuncta cuilibet actioni nostrae; sic potest intelligi dupliciter, vel distributive vel collective. Si distributive, sic est sensus: quamcumque actionem*

*faciatis, melius est, si eam actu in Deum ordinetis; et sic est consilium. Si autem sumatur collective, sic est sensus: omnia opera vestra sic faciatis, quod nullum eorum sit, quin actu in Deum ordinetis; et hoc nec praeceptum nec consilium est, sed finis praecepti, ad quod per impletionem praecepti pervenitur: sic enim Sancti in patria actus suos in Deum referunt.*

(14) Ita S. Thomas (1. 2. q. 100. art. 10. ad 2.): *Sub praecepto charitatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum; et ideo praeceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* Et rursus (Qq. Disp. De Virtutibus q. 2. art. 11. ad 2.): *Quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis ad quam omnes tenentur.* Et ibid. ad 3.: *Virtualiter referre omnia in Deum cadit sub praeceptum charitatis, cum hoc nihil aliud sit, quam habere Deum ultimum finem.*

(15) Ita S. Thomas (2. Dist. 40. q. 1. art. 5. ad 6.): *Nec tamen oportet, quod intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper coniuncta cuilibet actioni, quae dirigitur in aliquem finem proximum; sed sufficit quod*

3<sup>o</sup> Quoad tempus eliciendi hunc charitatis actum, quo se suaque omnia homo in Deum ordinet, nihil specialiter praecipitur praeter id, quod de praecepto actum charitatis aliquando eliciendi tradi communiter in scholis consuevit (16), ubi de praecepto charitatis agitur.

Haec porro doctrina lucem mutuabitur a subiectis quaestionibus, quae praeiacis hisce S. Thomae principiis facile solvuntur.

32. — QUAER. 5<sup>o</sup> *Quae relatio operis in Deum requiratur et sufficiat ut moraliter honestum illud sit?* (17).

*Resp.* 1<sup>o</sup> Debet habere aptitudinem ut possit in Deum referri, nempe nullam inordinationem culpae mortalis aut venialis continere, qua impediat ne sit in Deum referibilis (18).

*Resp.* 2<sup>o</sup> Necessarium non est ut actu opus in Deum dirigatur, quia obligatio referendi actu opera in Deum non distinguitur a praecepto charitatis. Hoc autem utpote affirmativum non obligat pro semper; atque adeo tunc solum tenemur opera in Deum actu referre, quando, ut supra diximus, ex praecepto ad actum charitatis tenemur (19).

*aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur; sicut fit, quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere: tunc enim quidquid ad se ipsum ordinat, ad Deum ordinatum erit.*

(16) S. Thomas (1. c.): *Et si quaeratur, quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est, quam quaerere, quando oporteat habitum charitatis exire in actum; quia quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum et per consequens omnium eorum, quae in ipsum ordinantur ut bona sibi.*

(17) Haec quaestio necessaria est non modo propter iansenianos, contententes, defectum relationis in Deum ex charitate efficere, ut omnia infidelium et peccatorum opera totidem sint peccata, sed etiam propter quasdam catholicorum opiniones, qui incaute quaedam principia ex iansenianis libris mutuati, ad vitanda deinde eorum erronea consecraria in opinionibus quasdam absonas devenerunt. Ita, v. gr. Collet (*De Act. hum.* cap. 6. art. 1. sect. 2.) ne ex illa doctrina, quam superius (*in not.*

*Comp. Theol. Mor.* Tom. I.

*ad n. praec.*) diximus, minus caute ab ipso mutuatum S. Alphonsi esse, concluderet, infideles et peccatores in omni opere peccare, per duplex absurdum asseruit, eos qui charitatem non habent, non teneri hoc Pauli praecepto, aut certe huic praecepto satisfieri, licet opera in Deum non ex charitate, sed ex quadam in Deum reverentia referantur. Alii non minus absurde deprompserunt nescio quam charitatem initialem, qua opera in Deum referantur; et iansenianum errorem satis caveri putarunt, afirmando, ex defectu huiusmodi relationis solos *deliberatos* actus peccato infici: quasi vero aut ianseniani, aut qui adversus hos disputarunt, de indeliberatis actibus quaestionem haberent!

(18) S. Thomas (Lect. 7. in 1. Cor. Cap. 10. v. 31.): *Relatio haec in gloriam Dei intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi, quae non solum est in bonis, sed etiam in indifferenteribus* (scil. ex obiecto).

(19) Ita S. Thomas (2. Dist. 41. q. 1. art. 2. ad 4.): *Dicendum quod non obligamur ad hoc, quod actus quilibet actu dirigatur in finem illum, in quem non*

QUAER. 6<sup>o</sup> *Quae relatio operis in Deum requiratur et sufficiat ut opus sit meritorium?*

Resp. Cum S. Thoma (*de Charit. q. unic. art. 11. ad 2.*), duo requiri: 1<sup>o</sup> ut homo se per actum charitatis ordinaverit in Deum; 2<sup>o</sup> ut opus sit moraliter honestum. Sic ille: *Cum aliquis se ipsum ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus, quae propter se facit, manet intentio ultimi finis, qui Deus est: unde in omnibus mereri potest, si charitatem habet.* Et alibi (*de Mal. q. 2. art. 5. ob. X.*): *Constat quod ille, qui habet charitatem, se et omnia sua ordinavit ad Deum, cui inhaeret ut ultimo fini. Ergo quidquid ordinat vel ad se, vel ad quodcumque aliud sui, meritorie agit, etiamsi actu de Deo non cogitet, nisi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non sit referibilis in Deum: sed hoc esse non potest, quin sit peccatum saltem veniale.* Exinde iuxta S. Thomam, in eo, qui est in gratia, nullus actus etiam quoad rationem meriti est indifferens: nam vel est malus saltem *venialiter*, et sic est demeritorius; vel est moraliter bonus, et sic erit meritorius. — S. Thom. *ibid.* (20) et 2. dist. 40. q. 1. art. 5. o.

QUAER. 7<sup>o</sup> *An ad meritum sit necessarium saepius renovare intentionem, seu actu referre actus ad Dei gloriam v. gr., singulis diebus?*

Resp. *Neg.* Nam sufficit quod aliquando actualiter omnia in finem ultimum referantur, sicut fit quando aliquis se totum per actum charitatis ad Deum dirigit et ordinat: tunc enim quidquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit, et virtus primae ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus, sicut et virtus finis ultimi manet in omnibus ad ipsum ordinatis. Ita S. Thom. 2. dist. 40. q. 1. art. 5. ad 6. et 7. — Quousque igitur quis non excidit statu gratiae, quaelibet illius actiones, dummodo non sint peccata (21), meritoriae sunt, licet ipse in-

potest nisi fides dirigere; quia praeccepta affirmativa non obligant ad semper, quamvis semper obligent. Et ideo non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum; sed solum pro tempore illo, quo tenentur actum suum in finem ultimum referre: nempe quando tenebuntur ad actum charitatis eliciendum; de quo videnda sunt omnino quae idem S. Doctor habet 1. 2. q. 89. art. 6. Huc faciunt quae S. Thomas in eandem rem habet *Lect. 3. in Rom. Cap. XIV: In homine infideli cum infidelitate est bonum naturae. Et ideo cum aliquis infidelis ex dictamine ra-*

*tionis aliquod bonum facit, non referendo ad malum, non peccat.*

(20) Sic nimirum ibidem concludit S. Thomas: *Ergo omnis actus habentis charitatem vel est meritorius, vel est peccatum, et nullus indifferens.*

(21) Proinde S. Thomas (*In Cap. 3. Isaiæ ad fin.*) loquens de ludis chorealibus haec habet: *Ludus secundum se non est malus; aliter in ludis non esset virtus, quae dicitur Eutrapelia..., sed secundum quod ordinatur diverso fine, et vestitus diversis circumstantiis potest esse actus virtutis vel vitii. Quia enim impossibile est semper agere in vita activa et contemplativa; ideo oportet*

intentionem dirigendi opera ad Deum minime renovet. Optimum tamen consilium est saepius hanc intentionem renovare, tum quia hi sunt totidem actus charitatis, tum quia fervor spiritus hoc pacto mirum in modum excitatur ac fovetur.

QUAER. 8<sup>o</sup> *An ut actiones sint meritoriae, necesse sit agere ex motivo supernaturali, aut saltem de Deo cogitare?*

Resp. 1<sup>o</sup> Haec quidem necessaria sunt ad gratiam seu iustificationem acquirendam. Nullus enim, ut ait S. Thomas (*in Hebr. cap. XI. lect. 2.*), potest placere Deo, nisi accedat ad ipsum. Nullus autem accedit ad Deum nisi per fidem.

Resp. 2<sup>o</sup> Sicut non oportet quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine; ita ad hoc, quod alicuius actionis finis sit Deus vel charitas, non oportet quod agendo illam actionem aliquis de Deo et charitate cogitet (22), sed sufficit quod prius per charitatis actum omnes actiones aliquando in finem, qui est Deus, ordinatae fuerint. — Vide S. Thom. 1. 2. q. 1. art. 6. ad 3.; et 2. dist. 38. q. 1. art. 1. ad 4.

*interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia severitate frangatur, et ut homo promptius vacet ad opera virtutum. Et si tali fine fiat de ludis cum aliis circumstantiis, erit actus virtutis et poterit esse meritorius, si gratia informetur (nempe si ludens sit in statu gratiae). Istae autem circumstantiae videntur in ludo choreali observandae, ut non sit persona indecens, sicut clericus vel religiosus: ut sit tempore laetitiae, ut liberationis gratia, vel in nuptiis, et huiusmodi: ut fiat cum honestis personis, et cum honesto cantu, et quod gestus non sint nimis lascivi (scil. liberiores), et si qua huiusmodi sunt. Si autem fiat ad provocandam lasciviam, et secundum alias circumstantias, constat, quod actus erit vitiosus.*

Et (*ibid.*) de ornatu mulierum: *Dicendum, quod ornatus mensurandus est ad modum et mensuram personae, et intentionem. Si enim mulieres portent ornamenta decentia secundum statum et dignitatem suam et moderate se habeant in factis suis secundum consuetudinem patriae, erit actus virtutis modestiae, quae modum ponit in in-*

*cessu, statu, habitu et omnibus motibus exterioribus, et poterit esse meritorius si sit cum gratia. Similiter si faciat, ut placeat decenter viro suo, quem habet, vel accipere debet, et ut ab aliis mulieribus retrahatur. Si autem habeant ornamenta pretiosiora, quam deceat ipsas, erit arrogantia; vel deformatum vitio luxuriae, si faciant ad provocandum ad concupiscentiam sui.*

Et rursus (2. Dist. 40. q. 1. art. 5.): *Comedere et bibere servato modo temperantiae, et ludere ad recreationem servato modo eutrapeliae, quae medium tenet in ludis..., meritorium erit in eo, qui charitatem habet.*

(22) S. Thomas (*De Mal. q. 2. art. 5. ob. 10.*): *Ad hoc quod aliquis actus sit meritorius in habente charitatem, non requiritur, quod actu referatur in Deum, sed sufficit quod actu referatur in aliquem finem convenientem.*

Et 2. Dist. 38. q. 1. art. 1. ad 4.: *Ad hoc quod alicuius actionis finis sit Deus vel charitas, non oportet quod agendo illam actionem aliquis de Deo vel charitate cogitet...; sed oportet, quod prius fuerit cogitatio de fine, qui est charitas vel Deus.*